Cracoviensis Stud. Univ. Jag.

Promotiones Philos. Ord.

1637. 1a

Rakułowski Joannis: Invitatio Musarum

INVITATIO MVSARVM,

Ad applauſum Virtutis & eruditionis laude Viris Ornatiſsimis exhibendum.

Dum in auguſtiſſima Academia Cracouienſi, Artium LIBERALIVM MAGISTRI, ac Philoſophiæ Doctores publicè ac ſolenniter crearentur.

A

L. JOANNE RATVLOWSKI,

Colleg. Lubr. Poſnan: Pöëſeos Profeſ:

Honoris ergo concinnata.

CRAC. Typis Matthiæ Andreouienſis.

Anno Domini, 1634.


Horum autem Nomina & Cognomina hæc ſunt.

A.V. FRIDERICVS	ALEMBEK.
A.V. HYERONIMVS	PIOTROWSKI.
A.V. SYMPHORIANVS	BVNKO.
V. MATTHÆVS	WOIASZOWIC.
A.V. IOANNES	KRZYZANOWSKI.
V. PETRVS	MAROSCZYNSKI.
V. NICOLAVS	SVLIKOWSKI.
V. ALBERTVS	CZERNIC.
V. IOANNES	RATVLOWSKI.
V. THOMAS	CLOTNEVS.
V. MARTINVS	RADYMINSKI.
V. IOANNES	OMIECKI.
V. IOANNES	BRONOWIECKI.
V. CHRISTOPHORVS	BERNOWICZ.
V. GEORGIVS	VIVIANI.
V. BALTHAZAR	PRZYLVSKI.

V. IA-

V. IACOBVS	WADOWIYS.
V. ALBERTVS	DIOGEN.
V. IOANNES	MARCINKOWIC.
V. SAMVEL	SKRZYNSKI.
V. PETRVS	MAZVRKOWIC.
V. ADAMVS HYACIN:	CLEMENSOWIC.
V. ANDREAS	IANCZVRKOWIC.
V. BATHOLOMÆVS	BVRCHATOWIC.
V. PAVLVS	BOYEM.
V. ALBERTVS	STRAZYC.
V. GEORGIVS	LEMKA.
V. ANDREAS	WIECZ.
V. ALEXANDER	TERSZOWSKI.
V. ALBERTVS	WOYTOWICKI.
V. ANDREAS	SKVDZINSKI.

IN INSIGNIA ACADEMIÆ.



CVR Crucis accipiunt Pallas tua Sceptra, figurā?
Vt vincas hoſtes, crux tibi portat opem.
Vnum, cur video ſolido tibi robore, factum?
Cur aliud, rutilans aurea lamna dedit.
Roboreum Sceptrum, deſignat magna laborum,
Auri pro Curis, donat honoris opes.

ALMÆ TOTI ACADEMIÆ CRACOVIENSI.

Per totam Europam celeberrimæ, tanquam Matri suæ & altrici benignissimę.

S. & F.

QVanta curarum anxietas, Matrem vnamquamq; excluso fœtu habeat, vt soboles à se progenita legitimè ad arbitrium omnium virtutis amantium, educetur: id per se magis manifestum est, quàm quis ea de re apud te, Academia virtutum omnium, & scientiarũ, Princeps ac Domina, verba facere poterit. Quam, non aliam ob causam eo in passu tantam curam, adhibere existimo, nisi vt soboles adulta, memor suæ eiusmodi educationis, omni animi alacritate, virtutum & honestissimarum quarumuis vitæ occupationum affabilitate, eam in se educanda, tot & tantis anxietatibus fractam & debilitatam, recreet. Hæc enim est vnica matris consolatio, hoc singulare solatium hæc peculiaris oblectatio, cum post plurimas curarum procellas, filiorum virtute præditorũ, & studio doctrinæ optimè excultorum, conspectu releuatur. Sed quæ matrum ô Academia magis solicita est de suo fœtu, quàm tu omnium benignissima, cum in tuorum Filiorum educatione, non id tantummodo intendis, vt illi sine curarum turbis adolescant,

ſed vt adulti te matrem ſuam tot anxietatum fluctibus fatigatam, releuent. Quod certè non euenit contra tuam voluntatem: parumnè hinc ſolatii reportas? cum tuos filios Regum inuictiſſimorum ſceptra tenere et regere, purpurâ, et byſſo veſtitos conſpicis? parumnè hinc lætitiæ? cum in ampliſſimo Senatorum ordine conſtitutos, prudentiâ & conſilio Patriæ labanti ſubuenire & opitulari intueris? parumnè hinc leuaminis? cum eoſdem Columnas Eccleſiæ & Reipublicæ eſſe intelligis. Nam ſi oculos tuos conuertas ad ordines eorum, qui ſe totos contemplandæ diuinæ maieſtati deuouerunt, nullus eſt, qui ſe non tuæ educationis fateatur, nulla religio, quæ non tuo lacte nutriretur, nulla ſocietas, quæ à te Parente non ſe procreatam arbitretur: ſi inde percurras ſtatus Rerumpublicarum vniuerſos, nullus eſt, quem tu non progenueris. Lætarè igitur multùm ô Academia felix, nam etſi multis anxietatibus in educatione tuorum filiorum frangaris, ingens tamen lætitia ex tàm dulci vitium tuarum fructu percepta, earum te obliuiſci faciet. Lætare & nunc vehementer, quum partum è viſceribus tuis nunc primùm in lucem producis, qui Eccleſiæ et Reipublicæ, non poſtremum ornamentum, tibi verò non mediocre leuamen afferet: in quo partu cum me quoq; minimum exiſtimarem gratus et memor tuæ educationis, ſuccum lactis, quo à prima penitus ætate alebar, & nutriebar, eundem nunc tibi ſummiſſè offero: tu etſi à me maiora exigere videaris, tãquã mater benigniſſima, hoc licet perexiguum munuſculum à filio tuo grato & beneuolo animo accipe.

SYDVS coruscans tum radios suos
Lucemque latam sparsit in aera
Musis Apollo dum faueret,
Iuppiter, artidoca & Minerua
Cincti coronis, in solio, suis
Lusêre sistris, & solito magis
Vultu sereno colloquentes,
Pectora lætitiâ replebant.
Ivno, fideli cum grege virginum,
Lusit, coruscans purpureo pilo
Currentibus portans iuuamen
Curriculi, in studio decenti,
Plectris canoris. Et meritò quidem:
Quis non faueret? vellet & omina
Turbare tantæ faustitatis?
Prosilientia corda lætis
Tardare num quis? munera quin sua
Obire possint. Tenariæ striges.

Terræ

Terræ & cauernarum Pro cuſtę
Faucibus, hunc remorentur Orci
Linguâ malignâ, qui inuideat ſuâ
Virtutis amplæ, promeritam diem.
Nec, cogitet ſe poſſe ſcire,
Qua ratione iter ad laborum
Concęde, metas obſtruat arborum,
Illæ, obſtrui non viminibus queunt,
Illis Roſeti ſpina neſcit,
Gramine non viridique ceſpes,
Et fronde Buxus nec Berecynthia
Obſtare, criſpo crine virens ſuo:
Immò arbores nonnullę adorānt
Præmia, quæ pariunt labores.
Innupta Laurus, nonnè venit ſuo
Cum flore molli, tempora, quo virûm
Prædiues vuis, Cyprinoque
Cortice, veſtiat & coronet?
Et ſacra myrtus, ſerta virentia
Quin texat herbis, ſceptraque fulgida
Cupreſſus inſculpat Pyropis
Nemo virûm putet. Æſtuoſæ

Orna-

Ornamen addunt amplum, hederę vagę
Textam coronam, Baccare nobili
Ornant virorum amplas curules
Quas repetunt meriti labore.
Ergo malignus, proficiet nihil,
Linguâ quieſcet, mente vagabitur,
Ac, impotens quod ſit nocere
Inuidiâ, ilia ſauciabit.
Vos iam benignæ, nunc igitur Deę,
Vos, aio Muſę Pierides, fouet
Quas mons amænus, & celebris
Delicijs Helicon, fauete.
Non vos retardet, Menalus & iuga
Pindi virentis, pergite feruidæ
Opem ferentes nunc maritis
Munere, quos ſocios ſcietis.
Veſtros: ſonoris clangite tibijs
Vocis canorę, ſuauia murmura,
Plectro vocali nunciate,
Threycio modulante cornu,
Lætam, modernæ lætitiæ diem.
Siſtrîs canoris, & reſonantibus

Vocis iocantis, prædicate
Dulce melos, lepidumq́. Tempus
Aduenit aptum, carmina Lydia,
Quo, iam canatis, numinibus bonis
Feruentiorem, quo iuuentam
Reddere nunc populo queatis
Veſtri, ad beatum carminis, otium.
Suaues Camænæ ducite montibus
Celſis, ſuſura dulcis auræ,
Omnia, nunc recreate lætę
Clio, ſerenâ fronte, ſuauior
Pulchrè nitentis culmine lilij
Nutu benigna non fauebis?
Suppetias, neque glorioſis
Feres virorum niſibus? in ſua
Duri laboris promeritá die
Horam negabis? quam repoſcit
Promeritus labor. æſtuoſo
Sudore, caſtę, ſerta virentia
Lauri negabis? quę meruit ſacer
Hic candidatorum, refulgens
Lectior ordo virentis æui.

Clio malignam, non pia, præbeas
Te, recreato fulgure glorię
Quam est assecutus heu anhelo
Pectore, per nimium calorem.
Æstus maligni, frigus & acrius
Brumæ rigentis, temporaque anxia,
Gliscente curarum tumultu,
Spe, & lubricos remorante Soles,
Clio disertę tu, Historię Deûm
Es facta scitu, progenitrix, faue
Huic ergo cætui leuabit
Onera qui tua: crede namque est
Laboriosum, gesta volumine
Magnûm virorum, dicere ad omnium
Mentem, licetque esses laboris
Inscia per faciles acutæ
Mentis recessus, sed tamen amplior
Vnita virtus: namque molestior
Fit, tædiosus atque durus
Quisque labor, sine commorantis.
Simul suaui subsidio: manus
Vna alteram scis nonne manum lauat?

Pes nititur labens pedique
Sic facilis labor est vbique.
Ergo fauebis, suppetias feres
Amica Clio, suppetias feres
Felix amatorem diſertę
Hiſtoriæ, ordine in hoc virenti.
Euterpe alacres aſtrue tibias,
Compone, feruens in numero fidem
Canoram, acutiore voce
Acceleres metra carminumque.
Et blandientis, vocifero, tubæ,
Clangore, lætam lætitię diem
Concede, dum longum, remotę,
Conficiunt iter, arduęque
Labore metę; currere quos vides
Lauri coronis, non ſine conſono
Ornatu honorum, almis, reuinctas
Pieridum comitante cætu;
Hos tu perennes, in Pylios dies,
Montis potenter ſacra biuerticis
Delubra Parnaſſi & canorum
Imperijs Helicona frenans,
Exper-

Expergefactis, ad sonitum Lyris
Perfunde, charis pectora, gaudijs,
Auro emedullato Liburnis
Montibus, esseda præparesque.
Per astra Olympi hos & facias vehi,
Albis Quadrigis crine micantibus
Aurum refulgens, Indicumque
Constitutas ebur, in recenti
Virûm hoc triumpho, quo omnia splendeant.
Plebem sonantûm pondere, colligas
Auri catenarum & reuinctâ
Attonitum retrahe aure vulgus
Pulchroq; rerum, iam agmine defluens
Ludas, refusis in pretium tonis
Ostrumq; & in vulgum caducas
Fluminea, iace nube gemmas.
Thalia solers tene etiam modò
Vltro relinquam? quin venias, ferens
Ritè & benè aleam ominatam
Atq; tuis, bona poma septis.
Parensq; quamuis fructiferûm arborum
Esses in hortis, nunc, facias pios

Tranſire plauſus, & ſonantes
Cęruleum per inane turmas.
Atroſq; nimbos & nebulę globum
Latè ſerenas rumpere copias
Ditemq; mirari, ſuperbo
Heniochum, radiante tecto.
Permitte denſis, agmina deſuper
Errare gyris non ſine ſyderum
Riſu, refulgentisq; Olympi
Fulmineo & iaculantis ictu
Fac vtque Cynthus celſa cacumina
Ingens & Othrys, laurigeris ſuis
Thyrſis, coronet, frondiumq;
Ter patulis folijs adornet.
Fac & tepenti examina ſtridere
Apum ſuſurro, nunc venientia
Ab Africo clarè ſonoro,
Æthera fac, reſonare vaſta.
Cantus tenellos Melpomene tuis
Solutiores aſtrue tibijs,
Cui voce cum clara, canoram
Et fidibus Cytharam parauit.

Parens Olympi Iuppiter in ſuo
Solo, nitenti fulgure ſyderum,
Diffunde vocem perſonantem
Lata per æthera: dulce ſpires
Meloſq; metris, in tenuem aurium
Mollemq; captum lęta canentibus.
Diſpone, lætos per choroſq;
Siſtra, ſonantibus arte Muſis
Manuq; doctâ, Barbita Lesbia
Moue, ſonoro blandius Orpheo;
Sacris trophęis, & triumphis,
Signiferę domus, adde Pompam.
Intende gratas, pollice tu lyras
Sacroq; Niſę è vertice, cymbala.
Latè per orbem funde, doctum
In lituis, Cytharisq; carmen.
Et vt quieto, cuncta ſilentio
In vaſto & amplo permaneant mari,
Vide: ſcatebris nunc canoris
Murmura per moueantur vndę
Tantum, per altam frondibus ilicem
Flatus ſuaues, perueniant leuem

Ad mē-

Ad mentis oblectationem
Corporis & recreationem.
Apta capillum, fulguris aurei,
Stellas, refusis crinibus alline
Orna caput gemmis, pedemq;
Puniceo religes cothurno.
Possis, virorum quò meliùs, pio
Seruire famę proposito sacrę
Et promouere, non profanę
Præmia, laurigerę coronę.
Tu non peritum Terpsichore, pedem
Citabis? omnis lætitię artifex;
Quę prima finxisse & choreas
Composuisseq; prædicaris.
Labore longo, cum videas viros
Fessos, ad illam tendere non sine
Mercede metam, sacri honoris,
Inclyta, quem sua donat, altrix,
Tu nosti, opus sit quo cupidis, boni,
Qui, inter fauentûm, nominis, atria
Lucrentur æuum, faustiora
Tempora adinueniant, leuati
Curis,

Cures, beatos expediant dies.
Viuant, auarę fraudis & inscij
Cunctis, honestum præferentes,
Dona nocentia, corde spernant,
Spernant & altas diuitias, sacrâ
Virtute dites, cuncta, pecunię
Ducentis ad se, non auari
Exiguo studeant beari.
Cum non, habentes multa vocaueris
Iustè beatos, iustius occupant,
Vocem beati, qui Deorum
Officijs sapienter vti
Sæuamque norunt pauperiem pati,
Et morte peius, qui metuant scelus;
Non hos putes caris, pro amicis
Aut Patriâ timidos perire.
Licetq; Teucer, tela Cydonio
Intendat arcu, non sua pectora
Timor retundet, quę reuinxit
Sic clypeo, generosa virtus.
Vultu fauenti Terpsichore, modò
Plenis honorum muneribus, suas

Viris

Viris in æuum amplis, curules,
Per titulos memoresque fastos
Semper perennes, pectora libera
Curis, fatiga, carmine Lydio,
Quantùm fatigaret ruinis,
Indomitas Aquilonis vndas,
Sonorus Auster Pleiadum choro
Rumpente nubes: his properes suum
Munus, moras longè retrudens,
Quod peperêre graues labores.
Erato dulcis sub penetralibus
Nutrita faustis, vestibus illita
Auri coruscantis, nitore, &
Torquibus altisonis, renides.
Persoluis almas, cum benè nuptias
Quas tu tulisti, quas dederas simul
Catenę amatorum trecentę,
Virgineâ, domitûm, sagittâ
Has nunc sereno, pectore construe,
Has lautiores tu solitò para,
Vides pudicos, cum maritos
Nubere, sed domui Dearum.

His

His fer coronas, quas tibi virginum
Ordo, Rosetis texuit in suis:
Præsta, reclinato laboret
Vnda fluens trepidare riuo.
Hìc nectar vuę, perfluat Atticę:
Huc florem amænum ferre iube Rosas;
Sertis vt exornes Capillos
Malobathro ac Syrio, nitentes,
Ergo serenæ Musa Tragædię
Adsis theatro, mox, vbi prospere
Res administraris, monile
Cecropio, referes Cothurno.
Insigne clemens, præsidium viris
Concedę fessis, pectore libero
Virtus honores queis auitos
Continuo peperit labore.
Gratos retorque ergo huc oculos tuos,
Cures clientum, longa negotia,
Tantosq; cursus promouendo
Perplacido properare vultu.
Cum vera virtus, si semel excidit
Nolit reponi deterioribus,

Sed semper optat hęc, in altis
Se domibus generosa haberi.
Munus relinques tunc Polymnia
Nostrum? retractans murmura cornuum,
Doctas replebis non strepentem
Per sonitum litui vocalis
Aures? agrorum tu fueris licet
Cultrix sonorę pollice non tamen
Nescis mouere insanienti
Plectra lyræ, Cytharæq; neruum,
Applaude ridens non Cyatho nouum
Fundens liquorem, vinaque vitium
Premens Caleno prelo, opimę
Diuitis & nimiùm, Falernę.
Non æstuosę pulchra Calabrię
Iumenta curans, aut ebur Indicum
Non rura quæ feruens Hydaspes
Lambit aquâ taciturnus amnis.
Per cuncta tu sed tempora seculi
Id cogitabis vt valeas fauens
Beare paucis, & serenâ
Mente manere viros vbiq;

Virtutis ardor quos vocat & quibus
Non iam caducas donat adoreas,
Donat sed illas sempiternas,
Tempore quæ nequeunt perire.
Cælestium, tuq; Vrania, orbium,
Dy dederunt notitiam cui
Primam, recumbens in rubentûm
Puniceûmq; loco Rosarum
Ades. iocanti facq; Diespiter
Vultu renascens omnia recreet,
Fac inuidentemq; igneæ arces
Detineant Acherontis Orco.
Pectus malignum hinc quodlibet exulet,
Saltim fauentûm hic possideant loca
Virûm, piç apprecationes,
Dum repetunt meritas curules
Altis mariti persimiles Dijs
Sublimis, amplo mentis acumine;
Mercede pro, tot qui reportent:
Quot nebulæ, pluuiæq; rores
Duri laboris præmia: tristia
Nunquam, molestum nil quoque sentiant,

Iam ſorte ſed ſemper beatâ
Exitus hos maneat benignus
Rerum: ſcientes quæ ſibi liberis
Obeſſe poſſint per ſapientiam
Longè amouere;& quæ viderent
Proficua eſſe ſibi, ad propinquos
Ad ſeq; non hi ducere negligant,
Ac reſpuentes inuidíam procul,
Fortuna quæ tulit benigna
Omnibus his liceat per æquum
Frui. repletur nam cupidus viri
Opes habendi ſic animus, nihil
Magis iam adimpletus requirens,
Nulla bona amplius expetensq́;.
Cœlo tonanti Calliope nitens
Deſcende: gratæ delicię Deûm
Et dulce carmen tum melosq́;
Concine ſeu fidibus lyrâue
Mauis: videns vt pulcher euntium
Ordo vagetur Pierio in choro,
Quem tu ſonarà voce feſſum
Exhilares celer & labantem.

Fulci

Fulci grauatum hoc pondere non leui,
Huic tu fauentem porrige dexteram,
Deduc & ad portum coronę
Propositæ sibi, quam peracres.
Contexuerunt ingenij sui
Contentiones: acceleres diem
Vel quod sit æquius, datura
Ipsa veni tua dona doctis,
Pro te iuuanda quos tibi delige,
Qui vbique honorem promoueant tuum,
Qui se palæstrę iam fideles
Perpetuosque tuę dare optent.
Vos verò ouantes, dicite nunc Io,
Io beatum dicite non semel,
Cum post diuturnos labores
Præmia mente refertis altâ
Lęti timentes currite iam nihil,
Quò Vestra ducit vos bona faustitas;
Virtute vestras nam coronas,
Et studio duce, comparastis.


DIVINI MEA SPES FIDEI VERBI, PRÆLVCENTE FACE AD POLVM FERATVR
INGENIO ET ARTE